22. Junii 1559

S. D. Clariss. Vir, patrone reuerenter colende,
quanto animatur magis & confirmatur agmen
Pontificium dissidijs nostris, tanto odia τῶν ἀπὸ
Οἰναρίας μεδωναίων erga nos magis acuuntur
& exasperantur. Struuntur omnino nobis aliquid
ab aduersarijs, & perniciosa Ecclesijs nostris
cuduntur consilia, quod cum ex aliorum cognouimus
indicationibus, tum non obscure intelleximus ex
epistola quadam a Maximiliano Rege hisce diebus
perlata ad Philippum scripta clam, in qua
hortatur & obtestatur eum per summa omnia,
ut cum non dubitet fore, ut ~~[illegible]~~ controuer-
sia deducantur ad cognitionem synodi, vel saltem
collationem paucorum doctorum, de quorum sententia
constituatur una & consentiens doctrinae
formula, ipse in tali collatione praestet modera-
tionem causa conueniendi, & quantum omnino
potest, praecisis disputationibus non necessarijs
& certaminibus de rebus omissis, solius doctrinae
ueritatis & puritatem urgeat. Quod si factum
non sit, asperitate non necessariam causam nouis motibus
praebituram. Erat et sollicite & trepide, &
circumspecte scripta epistola, ut appareret, &
esse optimo Principi curae veram doctrinam
& agi aliquid magni, cuius consilia solita
calliditate occultantur. Scire quid fama s
propter usurpandam moderationem prim [illegible]
[illegible] a Flacianis hoc dormio. Alij modera-
tionem flagitant. Sed Deum haec gubernaturum
non dubito, cui salutem Ecclesiae sacrae &
omnium nostrum commendo. Haec scripsi nondum
mea liberatus febri. 22 Junij Caspar Peucerus

C 107 I.
13./ nr. 3

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id408694041/11